

quot ex sanctissimæ illius Sedis cum Republica conjunctione mutua extent beneficia recenseat, Donati extraordinariam legationem significet. Matthæutius cum statim, se digresso, Messium oratorem in Patrum Collegium inductum cognovisset, illico per dispositos equos Romam contendit; indignabunda civitate, quod, neque vale Principi ac Patribus dicto, nulla publicæ existimationis ratione habita, discessisset. At Baduarius, acceptis Senatus literis, licet valetudine affectus, ac febri correptus, statim Tarracinam, quo Xystus ob eas siccandas paludes, portumque excavandum se contulerat, lectica deferrì curavit. Id cum, præmisso scriba, significasset, ad Sermonetam propinquum oppidum divertit. Iussus, ibi Pontificem convenit; qui pallentis legati adspectu, in quo gravitas quædam senatoria elucebat, vehementer commotus, quæ illum morbo gravatum ad iter conficiendum impulerint, sciscitur. Tum Baduarius breviter atque ex ordine cuncta exequitur; *Matthæutum in Navarrei causam coram Principe Patribusque acriter invectum; an ejus legatum Senatus admissurus esset percunctatum; si admisisset, pontificio nomine monuisse, atque obnuntiasse: ob id Leonardum Donatum, præcipuum Senatorem, legatum, qui Reipublicæ in sanctissimam istam Sedem obsequium testetur, queque acta sint, ea summa ratione facta exponat: Xystum rogare, ne quidquam de sua in Rempublicam benevolentia detractum velit, neve malevolis hominibus ei infensis aures præbeat: re perspecta, Senatus consilia, gestaque probaturum, certo sibi persuadere.* Ad hæc Pontifex, quo semper in Rempublicam animo extiterit; disertis verbis narrat: omnia sua cogitata atque acta Senatui communicasse; ut in neutram partem proclinaret, bortatum: cur modo Navarrei legatum admitteret? cur a cœtu fidelium amo-to faveret? se quidem Donatum legatum benigne auditurum, neque a Reipublicæ amicitia, nisi coactum invitumque discessurum.

His peractis, vix Romani Baduarius redierat, cum aliæ Senatus literæ supervenient, quibus de repentino Matthæutii discessu docetur. Statim ad Xystum Tarracina jam regressum adit, Matthæutii factum acerbe conqueritur: ne verbo quidem facto, non responso Senatus expectato, nulla publicæ dignitatis habita

1589

*Matthæutius Nuntius Romanus contendit.*

*Baduarius orator de nuntiis ob-nuntiatione cum Pont. ex-postulat.*

*Pont. responsum.*

*Baduarius orator de nuntiis, pro-fectio-ne cum Pon-tif. conque-ritur.*